



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||  
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||  
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad  
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni  
magni ad trigesimum ...

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

De hiis quae Nicomedia acciderunt. Cap. V.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29861**

*De hiis que Nicomedia acciderunt. CAP. V.*

**S**imul atque edictum contra ecclesias Christi editum, in Nicomedia propositum erat, vir quidam non obscurus & ignobilis, sed ut hominum fert opinio, longe illustrissimus, incredibili amore erga Deum, & ardenti fide incitatus, ocyus prodit in medium, & illud in aperto & publico loco affixum, tanquam profanum & maximè impium manu auellens dilacerat: idque cum duo ex imperatoribus in ciuitate adessent: quorum alter ætate præ ceteris prouecta primùm imperij gradum, alter quartum ab eo obtinuit. Atqui iste primus martyr, qui tum occubuerunt, ad hunc modum eximie nobilitatus, taliaque cruciamenta perpeffus, qualis erat verisimile eum qui fuisset in eiusmodi facinore deprehensus subiturum, tum constanti & virili animo, tum pacato & tranquillo, ad extremum vsque spiritum constitit.

*De iis que in aula Imperatoris acciderunt.*

*CAP. VI.*

**E**X omnibus, qui vnquam vel apud Græcos, vel apud Barbaros propter animi magnitudinè illustres & hominum sermone celebrati sunt, nullus cum diuinis & eximis nostri temporis martyribus. Dorotheo & suis sodalibus, imperatorum ministris comparari potest: qui quidem cum summum honorem apud dominos adepti fuissent, & amore essent apud illos, liberis propriis & ingenuis non inferiores, probra & afflictationes pro pietate corporibus impositas, noua & multiplicia mortis genera contra ipsos excogitata, splendidiore reuera existimarunt diuitias, quam gloriam quam delicias, quibus hominum vita solet diffluere. Mortem igitur vnus ex illorum numero qualis fuerit, commorare placet, eamque lectoribus spectandam relinquere, ut inde quæ reliquis etiam eius sodalibus contigerint, animaduerti possint. Quidam illorum in ciuitate supra commemorata, coram imperatoribus, quos diximus, in medium adducuntur: qui cum iussus idolis immolare, omnino recusaret, mandatum nudum in sublime tolli, flagellis eoque toto corpore dilaniari, quoad supplicio euectus, etiam animo inuito, quod erat imperatum, præstaret. Sed ubi ista perpeffus, constantis & immutabilis persisteret, de reliquo ossibus eius iam

X carne